

Forfatter: Holger Frederik Rørdam, 1830-1913

Titel: Udrag fra BREV TIL: Klevenfeldt, Terkel FRA: Langebek, Jacob (1742-10-27)

Citation: Holger Frederik Rørdam, 1830-1913: "Breve fra Jacob Langebek", i *Breve fra Jacob Langebek*, GYLDEN DALSK BEBOGHANDEL., s. 8. Onlineudgave fra Danmarks Breve: <https://tekster.kb.dk/text/letters-002054457-000-shoot-idm140619165168224.pdf> (tilgået 02. maj 2024)

Anvendt udgave: Breve fra Jacob Langebek

Ophavsret: Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk altid at kreditere ophavsmanden.

[Læs Public Domain-erklæringen](#)

Atlantem Resenii, qvòd in Belgio offenderis, inopinata qvidem, sed grata patriæ, tibi, nobisque omnibus, fortuna fuit ⁵. Utinam raræ selectæ tuæ librorum s. 9collectioni plures eiusdem farinæ in Gallia fierent accessiones; utinam occurrerent Tibi Missalia, Breviaria et Biurnalia qvædam Banica, Historia Oligeri Dani Gallice, aliiqve haud pauci libelli, Parisiis et apud Gallos olim impressi; nec sane dubito, qvin, Te statore, patriæ restituerentur. Illustris Tottius noster, vir inter seculi sui Nobiles eruditos facilè princeps, multam tibi salutem mittit, gratèqve æstimat oblatum de Codicibus Bruxellensibus officium: Cum autem egregiam Missalium, ut vocant, Breviariorum, aliorumque Ritualium librorum, in membrana scriptorum et impressorum, collectionem jam diu possideat, eamqve tam nitidam tamqve lectissimam, id elegantiores codices aliunde sperare vix liceat, suis oeconomicè adqviescere mavult, qvam non meliores impenso pretio adqvirere. Diploma illud, qvo Rex Galliæ Hannibali Sehestedio dignitatem Comitis concessit, non, ut putas, anno 1654, sed anni 1663 mense Aprili scriptum est. Be eiusdem Sehestedii apud Gallos mora et legationibus varia forsàn Parisiis invenies: ad minimum ceremonias, qvibus ad Regem introductus est, apud Introductorem aulicum habere poteris. Et, nisi me fallunt omnia, de Ulefeldio aliisque memorabilibus Danis, qvi, sive peregrinationis sive legationis occasione, in Gallio morati sunt, particularia qvædam investigare Tibi facile erit. Nec foret ingratum, si expiscari placuerit, unde duas illas icones, ad patriam nostrum pertinentes, scil. Ingeburgis Galliæ Reginæ et Dorotheæ Lotharingicæ, Monumentis Monarchiæ Francicæ insertas, sumserit Celeberr. Montfaucontius. Mihi verò hoc maxime gratificaberis, si decantatas istas cance vetustatis reliqvias, effigies nempe Petri cuiusdam Episcopi Roskildensis et S. Wilhelmi Abbatis Ebbelholtensis in Monasterio S. Genovevæ Parisiis asservatas, studiosè lustraveris, et, si operæ pretium, delineari curaveris. Certè, quantumvis etiam rudi penicillo depictæ sunt, si modò adsint vestustatis notæ, nobis cara erunt et rara antiqvitatum Danicarum vestigia. Rosenkrantzius, Staffeltium et fortè s. 10plures ex generosa juventute Danica apud exteros degere, certum est; num verò Lutetiam Parisiorum rectâ tendant, affirmare non audeo: Comes autem junior à Daneskiold- Laurvigen adhuc domi est, et huiusmodi profectionis nondum cepit consilium. Salutant Te Grammius, Henrichsenius, Hoffmannus, et, qvotqvot novi, amici tui. Vale, Vir Nobilissime, et ama semper, qvem semper amasti,